

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1082

Auteur(s) : Philippe d'Harcourt, Bayeux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Guillaume de Tournebu, Bayeux (doyen chapitre cathédral)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : ...1153...

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe de Harcourt, évêque de Bayeux, confirme au sous-doyen le patronage des églises de L'Épinay-Tesson, de La Folie, de Saint-Manvieu et de La Bigne données, à perpétuité, à l'église de Bayeux par Enguerrand de Port et confirmées par son gendre, Jourdain Tesson.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCXCI, t. 2, p. 11-12.

Dissertation critique

Datation proposée par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia Baiocensis episcopus, Willelmo, Baiocensis ecclesiae decano, et universo ejusdem ecclesiae capitulo, et omnibus sanctae Matris Ecclesiae fidelibus, in Christo salutem. Vestra igitur animavertat attentio quomodo Enguerranus de Portu, videns sibi mortem imminere et saluti animae suae consulens, confessus quoniam de forestis ad episcopatus Baiocensis dominium pertinentibus, et praecipue et nominatim de foresta de Racineio, Baiocensi ecclesiae multa et immensa intulerat dampna quae ad plenum, ut ipse asserebat, recompensare non posset, nec etiam pro tocius terrae suae venditione dampna irrogata redimere sufficeret, quaerens itaque tantae sollicitudinis quae tam graviter ipsum torquebat aliquod remedium, pro redemptione animae suae et delictorum suorum absolute, quatuor ecclesias de terra et praesentatione sua ecclesiae nostrae quietas resignavit, et pro voluntate nostra donandas potestati nostrae commisit: ecclesiam scilicet de Spineto, et ecclesiam de Folia, et ecclesiam Sancti Manvæi, et ecclesiam de Buigna. Has siquidem ecclesias personatui subdecanatus Baiocensis in perpetuum dedimus possidendas, tocius ecclesiae nostrae capituli concessionem freti et consilio. Tempore vero procedente, Jordanus Taisson, qui per filiae dicti Enguerrani matrimonium haereditatis illius successit in haereditate, praenominatas ecclesias ecclesiae nostrae, ut dictum est, in perpetuum possidendas concessit. Juramento quoque astrictus est quod donationem illam nullo modo impediret, nec moliretur quare nostra ecclesia eas quas jam possederat amitteret. Huic siquidem juramento praesentiam suam exhibuerunt Ricardus de Bohon, nostrae ecclesiae decanus; magister Hunfridus Bos, archicapellanus; Patritius, archidiaconus; magister Herbertus; Ricardus de Ros; Clarus; Willelmus Sapiens; Ricardus de Croilie. Ad tollendam igitur erroris occasionem, et praefatae rei

memoriam fideliter retinendam, prætaxatæ donationis seriem scripturæ beneficio curavimus commendare et sigilli nostri munimine roborare.